# Carmen.

ALma Vienna, olim Flaviana Colonia Romæ,
Læta ſitu, ſtudijs æmula, clara viris,
En, Tua rura placent ſuperis; en, Cæſaris Aula
Delicijs fruitur, pulchra Paleſtra, Tuis.
Intulit ipſa Tuis ſeſe ſtirps julea campis,
Atque hìc ſe patitur ſuſpicienda coli.
Spectat, & attonitus ſpectator in omnibus hæret,
Et prope Romanâ ſe putat urbe frui;
Irradiat ſpectantûm Animos, & pectora complet
Sidere Majeſtas illecebroſa ſuo.
Plaudite nunc, cives! Nobis hæc otia fecit
CAROLUS: inque ſuo Jupiter ære tonans
Claudet, & alternis fruitur mens provida Curis,
Et placet his ludis exonerata quies.
Hoc credam feciſſe jovem, cùm Creta tonanti,
Et feſſo villæ tot placuêre Deo.
Urbs igitur Fortis ſatis eſt: nec Milite ſolùm
Tuta, ſed ipſa ſuis civibus eſſe poteſt;
Tempore nam belli, luſu formatus & uſu
Civis, Spartani Militis inſtar erit.